M. J

Anu

Medi

Milit

Socie

porum

Fœlicate

culas, u

inv

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,*
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis sextâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXVI.

M. JOANNE-BAPTISTA BOYER,
Antiquo Facultatis Decano, Regii ordinis Equite, Regis Consiliario Medico in Supremo Senatu, ac in generali Præfectura Parisiensi, Militarium Regni Nosocomiorum Inspectore, Censore Regio, Regiæ Societatis Londinensis Socio, Regii Collegii Medicorum Nanceïanorum socio Honorario, Doctore Medico, Præside.

An in Febribus Malignis, post venæ sectionem, citò citiùs Emeticum?

I.

QUIDQUID humano corpori contrà Naturam accidit, morbus appellatur. Hinc inter morbos, qui animalem œconomiam invadunt, febris recensenda, cùm nihil aliud sit quàm sanguinis motûs præternaturalis acceleratio. Febris autem alia est lenta, alia acuta. In febre lentâ, sola adest motûs sanguinis acceleratio, plerumque tamen intermissio. In febre verò acutâ observantur & magnitudo pulsationum, & tensio. Æger plenitudinem, siccitatem, erethismum ac capitis dolorem persentit. Respiratio citatior est, desævit dolor circa renes ac in omnibus fermè ossium juncturis, molestatur ventriculus, os amarescit, saliva spissa est ac glutinosa, parciores effunduntur urinæ, imminuitur perspiratio, cæteræque functiones collabescunt, alvinæ fæces obdurantur, desiccantur, retinentur, &c.

Quamquam febris maligna de acutarum genere sit, nihilominùs tamen pluribus admodùm discrepantibus symptomatis stipatur, nec à communibus causis producitur, febri simplici similis; pulsus enim similis naturali, & urinæ dilutè flavæ, nihil mali ægro portendere videntur. At gravissima insurgunt symptomata, ut delirium, phrenesis; quasi fracta concidunt membra, gravatur caput, ut pondere quodam oppressum. Non minùs debilis est æger, quàm si è gravissimo morbo convalesceret, delirat interdum, interdum ratione gaudet suâ. In hocce eodemque statu permanet duobus aut tribus dein diebus; mox pulsus rigescit, exsiccatur cutis, nigrescit lingua, licèt potiones adhibeantur refrigerantes, caput magis ac magis corripitur, succedit delirium, phrenitis. Exacerbatur febris, symptomata adaugentur. Æger quandoque videtur moribundus; paulò post tranquillus est, uno verbo spem inter metumque fluctuat semper, prodeunt quoque tendinum subsultus, coma vigil, somnolentum, frequentissimæ syncopes, vomitus sine causâ manifestâ, convulsiones in faciei musculis præsertim; tandem erumpunt pustulæ rubræ, nigræ, abscessus, bubones & alia quàm plurima, &c.

* Auctore M. JOANNE S. JOIRE, D. M. P.

II.

AB omni ævo ascripta est causa febrium malignarum certis miasmatibus in sanguinem intromissis, motum febremque excitantibus. Posteriori sæculo nova surrexit opinio, à D. *Chirac* proposita. Vir ille, cùm ex professo morbum pestilentialem curasset, cadaverum sectionibus compertum habuit cerebrum inflammari; indè sanandi methodum deduxit Saphenæ sectione esse tentandam. Eam felices successus confirmarunt.

Notandum tamen venit, plurimas esse malignas febres absque inflammatione cerebri. Nedum praxis D. *Chirac* in hisce febribus usurpanda sit, quin imò prorsùs respuenda. Plerumque enim in his nullus persentitur capitis dolor, vultus nedum rubeat, tumeat, concidisse videtur: plerumque etiam ut malignæ solo exacerbationis tempore apparent.

Febrium malignarum causas à miasmatibus primarum viarum, sanguinem inficientibus deducendas demonstrat, earum per evacuantia sanatio. Plurimæ enim malignæ censentur febres, quæ ab hac unicâ causâ pendent. Ipsa tamen sanguinis putrefactio, quæ stasi ac concrescentiæ debet originem inter causas sanè annumeranda. Plerumque secretiones imminutæ, gangrena quarumdam partium, ipsiusmet aëris contagio ansam præbent febri malignæ. His causis addi etiam possunt mœror, & tristitia; nihil enim vulgatius est quàm ejusmodi febres malignæ in iis qui nuperrimè è regione suâ excesserunt; in annonæ caritate, cùm quocumque alimentorum genere vesci cogimur.

At verò cujusnam Naturæ miasmata sanguinem contaminantia; acidane? an alkali? Germani existimantes acida, in febribus malignis terras absorbentes, corallia, &c. alii verò alkali; præscribunt acida. Alkali-volatilem naturam horum miasmatum omnia demonstrant; sivè diutiùs in vasis stet sanguis, sivè velociùs solito promoveatur. Animalia corpora sibi permissa, calori exposita concipiunt fermentationis motum. Integrantes fluidorum partes in sua resolvuntur principia, nova conflantur entia, exurgit alkali-volatile cum exiguâ olei parte immixtum injucundissimè nares afficiente. Quid tale in corpore humano generari demonstrat peculiaris perspirationis odor in cacochymicis, præsertimque in iis qui vitam agunt desidem, peculiare illud effluvium melancholicarum affectionum hystericarumque gignit insultus quos semper comitatur dolor. Quin & sanatio per acida blanda contrà refragantiores alkali invictè probare posset. Sivè contractiori alveo agatur sanguis, sivè rarefactione & calore expansus sit, si diutiùs in eo statu permaneat, totam ipsius molem dissolvi necesse est, brevi enim tempore, quidquid serosi inest, calore absumitur, concrescit in viscositatem inflammatoriam, resolvitur in sales volatiles & olea acria machinam humanam brevi erosura.

In febribus malignis, post venæ sectionem, emeticum propinare quid obstat? An subjecti debilitas? Vires opprimuntur quantitate saburræ. An quod adsit saburra dubium est? nausea, vomitus ipse præmonstrat. An violenta contractio musculorum abdominis & dolores in ventriculo & intestinis enati? at momentanei sunt. An inflammationis periculum? cavet & obest præmissa venæ sectio. Misso sanguine, suscitatæ ab emesi contractiones nullam ergo inflammationem inducunt. Quin imò sanguis in alveo manat celerior, calor à rarefactione aut à quantitate pendens extinguitur, peraguntur secretiones faciliùs, redintegrareturque omnium partium actio, si stabulans in ventriculo & intestinis evacuaretur saburra; quod optimè succedit, citò citiùs exhibito emetico.

III.

IN ægri perniciem sæpè judicantur febres malignæ. Febrium initiis nulla speranda crisis; insidiosa levatio sine signis levationis. Febricula cum comate & capitis dolore mortifera. Ut plurimum adeò sævam induit faciem,

ut celeritate & nocendi periculo omnes & singulas ægritudines exsuperet. Quod si ab initio hi morbi non debellentur, in mortem abeunt citissimam, ut plurimùm in inflammationem cerebri*, pulmonis, abdominis, quin imò in earumdem partium suppurationem & gangrenam. Quoties autem in sanationem abeunt, illud fit per metastases; bubones nempè, parotides, aurium abscessus, sudores, alvi excretiones, &c. Medici officium est non modò præsentes morbos sanare, sed & futuros præcavere. Primariis malignorum morborum symptomatis, sæviora succedunt, quæ Medico incumbunt eradicanda. Febris maligna primùm continua exacerbatur tantùm digestionum vitio ac magis corruptæ in ventriculo saburræ præsentiâ. Secretiones ferè omnes tunc supprimuntur, urina parca aut nulla mingitur, cutis arescit, nigrescit lingua, tremula exseritur, convulsionibus exercentur maxilla inferior & faciei musculi, tumet abdomen, totum corpus occupant exanthemata. Hæc ingravescunt omnia, neglectis ab initio evacuantibus. At quænam usurpanda sunt evacuantia? Nonne calor febrilis omnis evacuantis inimicus? Nonne indicationum natura idem prohibet? Minimè in his difficultatibus immorandum. Urgentiori casui occurrendum, ac optandum esse causæ primùm, symptomati deinde præcipit Hippocrates: quod quidem non tutiùs quàm emesi perfici potest. Fugit irreparabilis propinandi occasio. Omnibus pollet ad attingendum scopum facultatibus: 1°. Citò citiùs suum sortitur effectum, copiosius ventriculum evacuat quàm quodlibet evacuans: 2°. irritationem tantùm inducit omni purgante leviorem. Materiei in ventriculo nidulantis egestionem antecedit lysis, lipothimia, syncope, delabuntur à cerebro ad ventriculum spiritus animales, partium internarum & ventriculo inferiorum atonia liberum præbet fæcibus alvinis descensum, copiosa salivæ excernitur quantitas. Mox sequitur convulsiva maxillæ inferioris depressio, dein factâ inspiratione contractisque musculis abdominalibus & ventriculo, inerte diaphragmate, expellitur sursùm & ut plurimum deorsum hujusce materiæ abundans copia. Hæc autem si diutiùs in intestinis retineatur, magis ac magis putrescit, à venis meseraïcis exsugitur & ad subclaviam venam per ductum thoracicum & ad cor transvehitur. Hinc pulmones emensa totam sanguinis molem inficit, & partes solidas incendio & vi sua deleteria consumit. Nullæ febres longiori tempore solvuntur quàm febres malignæ. Etenim ad 30, 35, 45, dies producuntur, nullæ pepasmo resistunt contumacius. Quid ut citò solvantur emetico potentiùs?

I V.

NULLÁ majoris est momenti methodus eâ, quâ non modò præsentia mitescunt symptomata, sed & præcaventur futura, & quâ bona pars hominum febre malignâ correptorum ab Orci faucibus eripitur. Cui ut obtemperemus, natura, causæ & febris præcipiunt. Præmissâ venæ sectione, non unâ tantùm vice exhibeatur emetica potio, ast iteretur pro casûs exigentiâ. Magistra edocuit Medicos experientia omnes alvi fluxu tentatos in febribus malignis, licèt cum signis cruditatis, fuisse sanatos (a). Alvus laxa semper servetur, nullus morbus adeò evacuantium usum requirit. Hæc Naturæ via si deficit, arte juvanda, morbum sequi, pepasmum, crisim expectare nefas (b). Licet ea movere quæ in perturbatione criticâ non judicantur feliciter. Veteres tartaro stibiato destituti, helleboro autem & azaro ad ciendum vomitum instructi; thithymale, cucumero silvestri, aloë, myrrha evacuandos esse humores solo coctionis tempore meritò affirmabant. Nulla enim medicamenta sunt quæ ardorem, inflammationem citiùs cieant. Ac nedum reficiant vires, contra exhauriunt; insidiosamque levationem sine signis levationis afferunt. Plenâ dosi tutissimè vomitum excitat tartarum stibiatum, refractâ autem blandè alvum subducit, eo solo per totum malignarum decursum uti possumus. Suam

(a) Hippoc. lib. Epid. Galenus de atrâ bile, cap. IV. Fabius Columna de pestilenti febre. Valleriola. observ. l. 6. de febribus Skenkius observ. l. 6. de febri. Riverius observ. Centuria 1. observ. 47. & 57. item centur. 2. observ. 34. & 87.

(b) Senertus de febrib. Manardus lib. 13. Epist. ad Barthol. Carandrinum de expectando pepasmo Hippocratis doctrinam refutarunt.

actionem in ventriculum & intestina exerit, nullum sanguini præternaturalem motum suâ ab intestinis translatione impertitur. Nec eo tantùm nomine commendandum quòd in febribus malignis sit necessarium, verùm etiam quòd in omnibus ferè febribus prosit maximè, vel in ipsâmet febre lentâ. Quid in anginâ tutiùs præmissâ venæ sectione? Quid in variolis feliciùs succedit? Non minus curiosa quàm notabilis est hanc in rem observatio Riverii de quodam qui ex symptomatibus, dolore capitis & nauseâ se peste laborare conjecit; illicò pennam oleo illitam in fauces immisit, quâ eductâ per vomitum materiâ primùm serosâ, dein flavâ, tandem porraceâ, in lectum se contulit; jusculum sumpsit & illicò convaluit.

V.

VETERUM Medicorum, in curandis febribus malignis; praxim nedum imitemur; contrà, suprà expositæ recentiorum methodo incumbendum esse unicè censemus. Aiunt enim veteres: in febre malignâ prostratæ vires, pulsus exilis & inflammationis absentia tum à venæ sectione, tum ab emesi dissuadere videntur, solisque potionibus cardiacis utendum, ut à corpore perspirationis beneficio heterogenea eliminentur miasmata. At quamvis plurimæ febres malignæ inflamatione destituantur, non idcircò rejicienda methodus nostra. Ideò enim obruuntur vires, quòd in primis viis hæreat infarctus & saburra, quæ nisi per vomitum evacuaretur, brevi corpus universum pessumdaret. Causâ verò avulsâ, evanescent symptomata, quâ autem remanente certò certiùs ingravescerent. Cardiaca ne adhibueris, cùm felix docuerit experientia hasce febres rarissimè, si unquam, solvi sudoribus, solis verò sanari posse purgantibus. Concocta purgare oportet non cruda, instabunt adversarii. Istius aphorismi fallitatem rationibus in thesi allatis probavimus; dum enim materia turget, evacuanda, semper autem turget in febre malignâ. In febribus malignis cum inflammatione cerebri, saltem ab emetico cavendum & abstinendum. In vomitu nempè convellitur abdomen, facies valdè rubet, inflammantur oculi, vomitus sanguinis seu hæmopthysis excitatur. Ne dum horum symptomatum terrore perculsi, ab opinione nostra deterreamur, quin imò eidem fortiùs adhæremus, cùm aliundè certâ experientiâ compertum sit, methodum assignatam non modo sanandis febribus malignis, sed etiam ipsimet peripneumoniæ competere.

Ergò in Febribus Malignis, post venæ sectionem, citò citiùs Emeticum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI,

M. Philippus QUERENET.	*M. Franciscus* PORTIER DE LA HOUSSINIERE.	*M. Jacobus - Albertus* HAZON.
M. Carolus - Ludovicus-Franciscus ANDRY.	*M. Stephanus - Ludovicus* GEOFROY, *Societatis Botanicæ Florentinæ Socius.*	*M. Claudius - Carolus* DEJEAN.
M. Matthæus-Thomas LA CASSAIGNE.	*M. Dionysius* PAULTIER DE LA BREUILLE, *S. S. Delphini & Delphinæ Medicus primarius designatus.*	*M. Franciscus - Felicitas* COCHU.

Proponebat Parisiis JOANNES-STANISLAUS MITTIÉ, Parisinus, Doctor Remensis, Stanislaï Primi, Poloniarum Regis, Medicus Ordinarius necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, A. R. S. H. 1766. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facult. Med. Typographi. 1766.